

Quomodo autem à lapsu illo denuo erigitur?

Tantum ex misericordia Dei. *Non enim est volentis, aut currentis, (quanto igitur minus nolentis, negantis, & fugientis) sed solius miserentis Dei.* Rom. 9. 16. Item quia Christus, *ne fides eius deficeret, pro ipso rogauerat.* Luc. 22. 32.

Media, quæ Petro miserè prostrato, ad resurgendū, tanquam fulcra, aut scipiones data sunt, fuerunt hæc:

1. Gallicinium, ipsum de duobus admonens, videlicet 1. de lapsu suo ipsi à Christo prædicto.

2. De promissione Christi, quod fides ipsius non esset defectura, & quod à lapsu iterum esset erigendus.

Alterum medium fuit intuitus Christi, commiserationis videlicet eius testis, ipsum de iis quæ prædicta fuerant commonefaciens, & blandissimo, gratiosissimoque nutu ad reuertēdum, & resurgendum inuitans.

Habetis iam textus analysin; superest vt ad doctrinas progrediamur. E multis autem, has duas tantum hac vice considerabimus:

- I. *Quenam cause sint, ob quas Petri, aliorumq; sanctorum graues, & horrendi lapsus, ab ipso S. sancto, in sacris Bibliis sint consignati?*
- II. *Quomodo, & quot modis Christus, adhuc negetur, & quid vè plurimum occasionem præbeat lapsib. & abnegationi Christi?*

#### DE I.

**Q**uantum ad primum, vel ipsis pueris, & qui nō planè rudes sunt & hospites in sacris literis, noti sunt lapsus, primorū parentum, Lothi, Patriarcharum, Dauidis, Manassis, Pauli, &c. item Petri, hoc loco.

At quare in sacris Bibliis tetri illi lapsus à S. S. sunt consignati. Cogitat humana ratio, in Bibliis, S. S. Trinitatis libro, qui Dei, & sanctorum historias complectitur, ad vitam sanctam hortatur, viamque ad cælum monstrat, nil nisi sanctum reperiri. Quī fit igitur, quod supra commemorat, & multò adhuc plures, sanctorum lapsus in illo libro, à Prophetis, & Apostolis spiritus  
Dei